



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Robertus Abb. 7. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

memoratur. Ita candidatus cum cælum diu ambivisset, anno demum C. XXXIV. supra M. obtinuit, & in victoriae signum olivam manu præferre visus est. Nonnemo eundem sub lilii imagine transportari in cælum conspexit. An non gratulari sibi terra tunc potuit, cum flores habuit, quos in sua rotaria transferre Superi amabant? Sed & nunc tales daret, si non ungue infesto invidus cælo heu! mundus præriperet. *Ex Surio.*

*Bona mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra mors peccatorum pessima: mala in mundi amissione, peior in carnis separatione, pessima in vermis ignisque contritione.* S. Bern. in Epist.

S. ROBERTUS ABB. 7. Junii.

**R**OBERTVM alterum D. Bernardi oculum imitandum proponimus, cæ frugalitate virum, ut helluari sibi videretur, si ipsis Paschalibus avenaceum panem butyro adipatum gustasset. Genium ergo suum defraudans intactum pauperibus remisit. Sed debebatur cælo tam delicatum Apophoretum, tantaque virtute conditum. Angelus sub centonibus latitans eo donatus est, argumentis aliis pluribus, & illo maxime agnitus, quod discum invisus omnibus in mensam retulit, & paulò post, quasi vicem relaturus, læto ROBERTVM nuncio beavit, nomina discipulorum ejus albo cæli inserta esse, duos duntaxat eâ felicitate excidisse: ex quibus alterum credibile est eum ipsum fuisse, quem è medio orantium cœtu demonis furcâ abstractū, auferri ab eo sportâ aspexit spoliū orco. Aliàs globo juvenum immixtum Cacodæmonē, & singulorum auribus sua venena  
insufur-



insufurrantem à magni sceleris apparatu abduxit, fatentem postea certum sibi fuisse, nuptiales ludos jurgiis, & multâ cæde finire, nisi à ROBERTO esset interpellatus. Sub annum M. C. LIX. mortuum Godricus familiaris ejus ignei globi specie à tribus Angelis inferri cælo vidit, allatrantibus ponè stygiis larvis, plusquam caninâ impudentiâ, utique fatalis prædæ spem neque illo rerum articulo deposuerunt. Nobis quid fiet, qui nunc his belluis colludimus, & neque fuscinam satis neque sportam prædatoriam timemus? *Ex Surio.*

*Cogitatio omnis secularis & carnalis tempore orationis abscedat, nec quidquam animus, quàm id solum cogitet, quod precatur. Claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo patens nec ad se hostem Dei tempore orationis patiatur accedere. S. Cyprian. de orat. Dom.*

## S. VICTORINUS CONF. 8. Iunii.

**R**ectè olim pronunciatum est, utcunque rara sit inter homines innocentia, plures esse, qui ab eâ nunquam divexerint, quàm qui seridè reverterint. His tamen tam paucis VICTORINVM accenseas licet magnum pœnitentiæ miraculum. Romæ natus cum Severino fratre Camerinum discesserat, tutissimum vitæ genus, vitato omni humano consortio, aggressus: sed quod mihi asylum dabis, quod non dæmonis improbitas perrumpat? Is vultum habitumque feminæ meritis nocte intempestâ VICTORINI tugurium auresque lamentis opplevit, dignaretur tecto ultima pericula metuentem, neque prædam se feris objiceret. Peccaturus in humanitatem sibi VICTORINVS videbatur, si ad has preces obsurduisset. Recipit ergo dæmonem hospitio, sed sub larvâ tam bellâ latentem,